

Q. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGURALIS,
De
BONORUM ALLODIALIUM
IN FEUDALIA
INCORPORATIONE,

Quam
ANNUENTE DIVINA GRATIA
AUTHORITATE ET DECRETO

Inclyti JCtorum Ordinis in celeberrima SALANA,

SUB PRÆSIDIO

Viri Illustris atque Excellentissimi

DN. NIC. CHRISTOPHORI LYNCKERI,

Hæreditarii in Gluhrstädt & Rötschau/

JCti, Serenissimi Ducis Saxo-Vinariensis Consiliarii Intimi

Eminentissimi, Antecessoris, & Facultatis Juridice, ut & Scabinatus ac

Curia Provincialis, Assessoris Primarii,

*DN. Patroni ac Promotoris sui omni observantie cultu etatene
devenerandi,*

PRO LICENTIA

Summos in Ulroque Jure Honores ac Privilegia Doctora-
lia ritè ac solenniter capessendi,

ad diem Martii, Anno M DC XCIII.

Horis antea & pomeridianis,

Publica Eruditorum censuræ submittit

JOHANNES WILHELMUS THAURER,

Hassò - Cassellanus.

J E N Æ,

Literis **JOH. DAVID. WERTHERI.**

Typographi Ducalis.

M

O

R

E

A

I

N

T

P

E

F



THES. I.

Llodium & Feudum sibi invicem opponi, illò rem omnino liberam, & plenà vel omni proprietate ad nos pertinentem, hòc quoad recognitionem alterius directo dominio subjectam indicari, notissimum est: utrumque cùm tam quoad Etymologiam, quam Homonymiam ac Synonymiam in omnium Feudistarum scriptis abundè expositum inveniatur, opera illa nunc jure supersedere, quin & allodialium atque feudaliū bonorum qualitates atque differentias secure prætermittere possumus; hoc saltim monentes, vocabulum Feudi, missis aliis significationibus, pro ipsa Re in feudum concessa hic à nobis accipi. Quod verò incorporationem (Germanicè Einverleibung) attingit, describitur illa nobis generaliter: Quod sit diversorum bonorum variis modis ac titulis facta conjunctio seu copulatio. Distingui illa solet (1) ratione effectus in perfectam & imperfectam. Est enim plurium formarum, & sit vel per extinctionem rei alteri unitæ, vel per talēm adjunctionem, quā utrumque conjunctum principaliiter manet & per se subsistit. (2) Ratione Objecti, alia est bonorum spiritualium, ut Ecclesiarum & beneficiorum Ecclesiasticorum; alia bonorum temporalium, Terrarum & Pro-

vinciarum, tam Allodialium quam Feudalium; earumque vel universitate in quandam constituentium, quam particularem solum formam & partem referentium: & haec vel a Domino directo per adjunctionem plurium bonorum feudo Vasallo concesso, vel ipso Vasallo, propria bona feudibus a se jam possessis, debito modo conjungente, perficitur: quam ultimam incorporationis speciem, & quidem eam, quam ratione Effectus perfectam appellare confueverunt, quam nimis natura allodii in feudum mutatur & convertitur, praesenti Dissertatione Inaugurali paucis pertractare in animum induximus.

THE S. II.

Describimus autem eandem, quod sit allodialium bonorum separatorum in feudalia legitimâ interveniente conjunctione, solenniter facta transformatio; sicque illam a simplici quadam bonorum adjunctione, quæ multos juris productus effectus, satis removeimus.

THE S. III.

Inter modos autem allodialium in feudalia bona incorporationis Primo loco ponimus Expressam dominii bonorum hujusmodi a Vasallo, sciente & volente in dominum feudi acceptantem, ex titulo ad transferendum dominium, habili, per traditionem veram ac propriam, factam oblationem & translationem; sub conditione tamen, quam tacite in se complectitur, ut dominium utile iterum offerenti Vasallo acceptans dominus in illis constituat, ex quo demum distinctio inter dominium directum & utile enascitur. *Ilustr. DN. Praef. in Analect. ad Struv. Synt. feud. cap. 7. §. 10.* Deinde Tacitam, quando Vasallus rem suam propriam allodialem tanquam feudalem & velut cum feudo unitam sciens a Domino feudi, rem conjunctam & recognitam alienam esse non ignorantem, ritè recognoscit: tunc enim eandem

dem domino tradidisse & per fictionem brevis manus cum dominio utili ab ipso recepisse, ipsaque ex illo tempore feudalis facta censetur. *Rosentb. cap. 6. concl. 68 n. 17.* Notanter autem diximus (1) Vasallum, scientem rem unitam hancen-
tus fuisse allodalem & separatam, tanquam feudalem, à Domino feudi recognoscere debere. Namque allodialium ut feudalium sive semel sive saepius à Vasallo ex errore pro-
babili facta recognitio ipsi non præjudicat, eorumque do-
minium domino feudi propter defectum animi transferen-
di, vid. *L. 15. ff. de juris d. L. 2. ff. de confess.* non acquiritur:
Nec interest facti an juris ille error sit, cum etiam hic, ubi
de damno vitando agitur, nec donationis præsumptio, ed
quod nemo in dubio sua jactare credat, locum habere pot-
est, haut nocere soleat. *vid. B. Dn Struv. Synt. J. C. Ex. 27.*
tb. 4. Requiritur autem ut idem cum non facilè præsuma-
tur, legitimè doceatur: *L. 4. C. de jur. & fact. ignor. Ma-*
scard. de probat. Vol. 2. concl. 637. n. 1. & seqq. quod suffici-
enter fieri posse putamus, si ostendatur, Vasallum aut Majores
eius rem ut feudalem recognitam olim tanquam allodi-
alem accepisse & possedisse: tunc enim ex titulo priori ad-
huc possidere, nec donationem (cujus species feudi oblatio
certo modo dici potest) intervenisse, sed potius recognitio-
nem istam per erroneam impressionem factam fuisse, præ-
furnitur, vid. *Rosentb. cap. 6. concl. 68. n. 7. & 8.* (2) Do-
minum feudi non ignorare debere rem conjunctam & re-
ognitam alienam esse, cum in dominii translatione scien-
tia & animus non tantum transferentis, sed & acquirere il-
lud volentis, exigatur: *L. 18 ff. de reb. cred.* ita ut ex verbis
claris & manifestis de utriusque mente, Vasalli scilicet, rem
suam domino subjecere (non simpliciter ab ipso recogno-
scere, hoc enim ex allodio non facit feendum. *Surd. consil.*
411. n. 73. cum etiam aliam ob causam frequenter fieri so-

leat. *Idem consil. 311. n. 67. Burfat. consil. 46. n. 16. alleg. à Klockio tom. 2. consil. 8. n. 113. & 114.*) & domini feudi dominum acquirere volentis, satis constet. vid. *Vultej. de feud. lib. 1. cap. 5. n. 19. ibique alleg. Dd.*

THESES. IV.

Utroque vero modo investitura domini, ut comple-
mentum ceterorum actuum, accedere debet: sine ea enim
feudum nullo modo constituitur, *v. F. 25. §. 2. & 11. F. 1. inf.*
nec allodii natura mutatur. *Isern. in tit. de controv. feud.*
Coler. p. 1. Dec. 80. n. 1. Zobel. p. 2. differ. 46. n. 1. Carpz.
Jurispr. for. p. 3. const. 30. def. 12. cui per illam anima feudal-
lis quasi infunditur, ut eleganter loquitur *Hertius tract. de*
feud. oblat. part. 2. §. 33. pag. m. 101. Extra hanc si Vasallus
per XXX. annos (qua præscriptio extra annalem illam, quâ
filii & agnati proximiores feudo à Vasallo vendito & aliena-
to, vivo alienatore, intra annum refuso pretio feudum re-
vocant, *v. 11. F. 9. §. ult. 26. §. Titius ibique Bitsch.* sola jure
feudorum moribusque Longobardorum obtinet, *v. B. DN.*
Struv. S. F. cap. 8. §. ult. n. 3. Vultej. L. 1. c. 5. n. 4. in tan-
tum, ut si alicubi longi temporis fiat mentio, XXX. anni
semper accipiendo sint, *Illustr. DN. Praef. in Andaleb. ad cit.*
Struv. loc. bona sua propria unâ cum feudo ut feudalia, si-
ve sciens sive ignorans (error quippe à præscriptione exclu-
ditur, & certa scientia præsumitur) à Domino feudi in bona
fide, præsertim juxta Jus Canon. (quod cum usu observetur,
quid jure feudali obtineat disquirere supersedebimus) con-
stituto recognoverit, dominium directum in illis præscri-
ptum, ipsaque ut feudo incorporata haberi debent. *arg. 11.*
F. 26. §. si quis per XXX. annos. vid. Rosentb. cap. 6. concl.
81. n. 1. Nec opus est titulum & investitoram hic præcessis-
se: præsumptus enim sufficit, & præscriptio vicem investitu-
ræ sustinet, ita ut ex ea feudum per investitram constitu-
tum

tum esse præsumatur, v. 11. F. 33. V. inde etiam. B.DN.Stru^v.
S. J. F. c. 7. §. ult. n. 2. Vultej. cit. loc.

THES. V.

Denique si Vasallo feudum hâc expressâ conditione concessum reperiatur, ut quicquid postea acquisiverit, pro re feudalî statim haberi debeat: tunc, etiamsi nulla expressa ratione horum acquisitorum processerit domini investitura, ex pacto hoc investituræ super re principalî adjecto, allodia hæc comparata statim naturam feudi induunt, eique incorporata censeri debent; ut in Collegio JCtorum Jenensiū in terminis responsum fuisse testatur *DN Riechter. part. 3. consil. 8. quæst. 1.* Quin & si præcedente controversiâ inter Dominum feudi & Vasallum de qualitate bonorum, Judex sententiâ suâ bona hujus allodialia feudalia pronuncia verit, per hanc, dummodo in rem judicatam transierit, feudo incorporata, & dominium directum eorum in dominum feudi translatum erit: tum quia res judicata pro veritate habetur, *l. 20. de R. J.* tum quod sententia Judicis ejus sit efficacia, ut naturam rei mutare, eique novam qualitatem adjicere possit. *Schrader. de feud. part. 5. cap. 5. n. ult.*

THES. VI.

Ex his facilè colligitur, quod sola unio seu conjunctio rei allodialis, quæ per se subsistere potest cum prædio feudali, fortè quod emerit Vasallus pratum quo opus habebat, illudque destinatione suâ unum cum feudo fundum fecerit, secus est e. g. in servitute fundo feudalî à Vasallo acquisita, quin & ædificio ei imposito, quæ, cùm separari ab ipso nequeant, partes fundi reputantvr, v. 11. Fend. 8. §. E contrario. quamvis augmenti hujus ex industria Vasalli feudo accendentis estimationem, quasi utilis meliorationis causa facti, præstare dominus obligatus sit; *Afflct. in cit. text. aut ut ædificium si possit, tollatur, pati debeat, 11. Fend. 28. §. Si Va-*

salt-

fallus. Guido Pape Decis. 169. Hartm. Piss. quest. 42. n. 7.)
sine facta antedicto modo recognitione qualitatem illius
non mutet, eamque feudalem faciat. vid. Rosenthal. cap. 6.
concl. 68. n. 26 & cap. 10. concl. 43. n. 6. 17. 18. & 28. id quod
& in hac specie consultus respondit Modest. Pistor. consil. 22.
n. 40. Das S. Bauerholz von 10. oder 12. Alatern/
die weilen es ein sonderlich Stücke ist/ das vor sich selbst
bestehen kan/ ohne das Lehnsgut/ So achte ich auch/dass
es Erbe bleibe/ weilen es zu Lehn nicht gemacht; quod
verum manet, etiam si ista eunio seu conjunctio per XXX.
imo ultra C. annos perduraverit. Coler. decis. 213. Molina.
ad consuet. Parif. §. 1. Gl. 5. n. 22. & seq. Jacob. de S. Georg.
de investit. feud. verb. subsequenter. n. 7. & 8. Tempus e-
nim, ut non est modus inducenda obligationis l. 44. §. 1. v.
Placet ff. de O. & A. ita nec modus inducenda unionis.
Oldrad. consil. 296. n. 3. Wesenb. part. 1. consil. 4. n. 19. Et
feuda non constituuntur usu, sed tantum per investituram,
aut successionem, ut legitur 11. Feud. 1. n. 33. pr. nec sola de-
stinatio aut usus possessoris potest immutare naturam vel
qualitatem rerum, 1. Feud. 15. Wesenb. d. consil. n. 22. cum
causam suæ possessionis sine novo aliquo facto mutare non
valeat, l. 3. §. 10. l. 19. §. 1. ff. de acquir. vel amitt. possess. quo-
modo & à Collegio J. Ctorum Jenensium responsum fuisse
scribit DN. Richter. 2. consil. 340. n. 10. Wann gleich des
Titii Vater etliche Bauer-Güther vor etlich und 30.
Jahren gekauft/ welche in dem zum Lehnsguthe gehö-
rigen Dorffe Langenbach gelegen / wann auch gleich
solche Güther über 30. Jahr zum Lehn gebraucht worden:
dennoch wofern dieselben Güther im Lehn-Briefe
nicht nahmhafft noch zu Lehn gemacht worden/ und
doch unlängbar/ dass des Titii Vater/ als er allbereit
das Lehn-Guth gehabt/ solche Güther gekauft/ dass
al.

also ad originaria pertinentia feudi die angezogene Bau-
er-Güther nicht gehörig/ und in dubio zu präsumiren/
dass Käufer solche in Streit gezogene liegende Grün-
de/ als ein Eigenthums-Herr/ und nicht als ein Lehn-
Mann/ inne gehabt/ auch dessen hinterlassener Sohn
dieselbe ebener gestalt besitzet/ zu dem *destinatio patris fa-*
*milia*s und Gebrauch der Bauer-Güter zu dem Lehn-
guthe nicht gnugsam/ dass dieselbe deshalb den die Sit
und Eigenschaft des Lehniguths an sich nehmen und
bekommen / so sind obgedachte Bauer-Güther zum
Erbe gehörig / und davon nicht abzusondern.

V. R. W.

THES. VII.

Cause impulsivæ incorporandi bona allodialia feuda-
libus varia sunt, prout vel necessitas vel commoditas, vel a-
liud Vasalli arbitrium id exigit. Et in specie incorporatio-
nem ditionum Universitatis speciem habentium Principa-
tuum, Comitatuum & Dynastiarum, &c. plerumque suadet
vel (1) metus rei in solidum amittendæ; Quando v. c. Va-
sallus alienæ potentiaæ sollicitus observator, sed viribus im-
par, & proinde rerum fortunarumque propriarum jactu-
ram veritus, mavult cum fortuna decidere, atque alieni fa-
cere beneficij, quod proprio Marte servare non potest,
quam de tota possessione periclitari. Vel (2) lucrum ali-
quod, quod ex hac incorporatione Vasallo obvenire posse
speratur, veluti si dominium bonorum allodialium domino
feudi sub conditione recipiendi illa in feudum, vendat, vel
(3) Lis atque controversia, quæ inter dominum feudi & Va-
sallum intercedit, non nisi per transactionem, eamque inse-
cutam incorporationem, sponda. Vel (4) æs alienum
quo Vasallus premitur hoc modo commodissimè expun-
gendum, &c. &c.

B

THES.

THES. VIII.

Ut autem hæc incorporatio supra præfinito modo facta subsistat, utriusque & offerentis Vasalli & acceptantis investientisque domini habilitas, id est, jus & facultas transferendi atque dominium acceptandi, requiritur: A parte Vasalli, cùm ea omnibus, qui rerum ad singulos spectantium veri atque irrevocabiles domini sunt, regulariter competat, omnes pro personis ad incorporandum idoneis habendi sunt, nisi propter defectum animi, vel corporis, aliamve singularem legis dispositionem, prohibeantur. De alienatione bonorum impuberum, minorum aliorumque, Curatores suos habentium sive iis destitutorum, mutorum item ac surdorum, furiosorum ac prodigorum, quænam requisita, ne invalida postea dici queat, observanda sint, cùm ex jure Civili satis patescant, opera pretium non judico, pluribus hic adducere: de ultimo saltim queritur? An illius oblatio si juramento roborata fuerit, saltem juxta iuris Canon: principia cap. 28. X. jurejur. valeat, item, an Aut henc. Sacra menta puberum C. si adversus vendit. ad hunc extendi possit? Illustris Dn. Pres. in Protribun. pens. 4. delib. 13. cum alleg. Francisco de Caldas E. Azorio, eò quod judicio careat, & puberi non nisi in eo, quod neuter alienare possit, & equiparetur, in negativam inclinat: cui & nos subscribimus.

THES. IX.

Filius familiæ Vasallus, cui vel à patre feudum refutatum conf. B. Dn. Struv. S. F. cap. 12. §. 9. n. 2. & 14. vel noviter concessum fuit, an ad incorporandum bona sua persona habilis sit, distinctio peculiorum optimè docebit. Peculium profectitum cùm pleno jure ad patrem pertineat, §. 1. 3. per qu. person. cuique acquir. bona ad illud spectantia incorporare eum non posse, facile liquet: E contrario in Castren-

fstrensi vel Qs. ut & adventitio extraordinario, cū liberri-
mam & administrandi & alienandi (quod tamen ultimum
ultra actus inter vivos extendi nequit) habeat potestatem,
L. 15. §. 1. de castrenf. pecul. L. 2. de SCto Maced. L. 6. pr. in f.
C. de bon. que lib. Nov. 123. c. 19. Nov. 117. c. 1. §. 1. de ipsius
habilitate nullum est dubium. De adventitio ordinario
saltim dubitari posset, an illud totum vel ex parte, invito pa-
tre, feudo incorporare possit? quod quidem affirmandum
videtur ex eo, quod proprietarius rem sine usufructuarii
consensu alienare, & per consequens in feudum converte-
re possit. *arg. l. 25. de V. S.* Verum ad filios familias, ratio-
ne jam dicti peculii, hæc juris dispositio non pertinet, cū
concessio proprietatis filio facta ipsi non tribuat facultatem
absque voluntate patris rem alienandi. *L. ult. §. 5. v. filius*
autem familiæ. C. de bon. que lib. Hinc ad validitatem incor-
porationis consensus patris necessariò adhibendus venit.
An verò & in hoc casu, eodem modo, quo si consentiente
patre filius familias bona sua adventitiæ alicui in feudum
concedit, patri eorum ususfructus (quippe quod feudi con-
stitutio in nuda proprietate fieri non possit) adimitur, *v.*
Illuſtr. Dn. Pref. in anal. ad Synt. feud. cap. 5. n. 1. consen-
sus ille patris quoque renunciationem ususfructus involvat?
quæſtionis est, quam negamus.

THES. X.

De Personis publicis, & quidem Ecclesiasticis, Archi-
Episcopis, Episcopis, Abbatibus aliisque Clericis, feudalij ne-
xu immediate vel mediata Imperio obstrictis, queritur: an
illi bona Ecclesiæ allodialia in feudalia convertere possint,
ita ut successores eorum acta rata grata habere debeant?
Quod affirmamus, modò ad utilitatem Ecclesiæ tendat in-
corporatio, Capitulique consensus ritè adhibeatur. *v. I.*
fend. 1. & 6. II. F. 35. Cap. 8. & 11. X. de reb. Eccles. non alie-
nand.

*mand. alias successor qui hic proprio jure succedit, extra
hæc requisita ad Antecessoris sui gesta servanda non obli-
gabitur. arg. cap. I. X. de his que sunt à Præl. Civitates quo-
que aliasque id generis universitates feuda posidentes, mo-
dò requisita illa, quæ in obliganda Civitate & Universitate
leges observanda præscriperunt, adhibita reperiantur, quin
in numero personarum incorporationem efficere valen-
tium comprehendendi debeant, non est quod dubitemus. arg.
L. ult. C. de vendit, rer. Civit. Lib. XI. tit. 31. jung. Gædd. de
reb. cred. c. 2. n. 150. seq. Nicol. Lofa tract. de jure universi-
tatis. p. 3. c. 5. MCV. ad ius Lubec. p. 2. tit. 3. n. 28.*

THES. XI.

Hæc de Vasallo incorporante: quod attinet dominum
feudi, quilibet, ad conferendum feudum alteri in bonis suis
habilis, etiam à Vasallo oblatum in bonis allodialibus domi-
nium acceptare, super dominio utili ipsum investire, & sic
allodium cum feudo à sua parte unire potest. Ad quodnam
vero peculium, si sit filius familiæ, dominium hoc acqui-
sum directum referendum erit? de feudo communî à Va-
sallo acquisito Andr. de Isern. cap. un. de his que feud. dare
poss. n. 13 & Vultej. Lib. I. cap. 4. n. 8. generatim affirmant, ad
castrense peculium pertinere, cum regulariter ob servitia
militaria seu militiam concedatur, quo argumento ductus
affirmare quis facilè posset, dominii directum ad Castrense
peculium pertinere, cum maximam partem ob protectio-
nenem vel advocatiam (vid. th. 7.) bona allodialia domino
feudi a beneficiario offerantur. Sed huic & illi assertioni
generatim prolatæ vix tutæ fides habenda, partim quod non
ob militiam tantum, sed & alias ob causas, feudum conceda-
tur, & res in feudum offeratur, (vide th. 7.) partim vero &
potissimum, quod omnia illa bona, quæ intuitu militiae ac-
quisita sunt, non videantur ad Castrense peculium referenda
esse,

elle, sed quæ intuitu militiæ præsentis. Nam in L. 11. de cas
strensi. pecul. pro bonis Castrensis ea saltēm habentur,
quæ in militia agens acquisivit, & quæ nisi militaret non
esset acquisitus. jung. Bocer. de bello c. 16. n. 18. Manebit
itaque reliquum, feodium oblatum ratione dominii directi
ad bona adventitia ordinaria, in quibus patri ususfructus
competit, regulariter referendum esse, nisi intuitu militiæ
præsentis vel ipsius patris oblatum sit: priori enim casu ad
Castrense, posteriori ad profectitum pertinebit. L. 6. C.
de bon. qua lib. arg. l. 21. ff. de usufi. L. 10. §. 6. in f. de vulg.
& pupill. substat. d. l. 11. de castr. pecul.

THE S. XII.

Invictissimum nostrum Imperatorem oblatum à Sta-
tibus aliisque immediatis Imperii Vasallis, sive expresse sive
racite, bonorum allodialium, ut feudalibus incorporentur,
dominium (quando nimis Status aliquis petendo reno-
vationem investitur, & ita recognoscendo Ducatum, Prin-
cipatum &c. vel aliud feudum, terras allodiales hisce feu-
dis insertas & immixtas simul in feudum recognoscit) ac-
ceptare posse, nullum est dubium: id quod sapissime in Im-
perio factum fuisse, concedent illi, qui nōrunt, Ducatus,
Marchionatus, Landgraviatus non tam amplos olim fuisse
inti nunc sunt, sed accessione Comitatuum aliarumque ter-
rarum, ex parte etiam allodialium, fuisse insigniter auctos,
& postmodum una cum Ducatu & sub ejus titulo, tanquam
partes, simul in feudum recognitos. vid. letter. de feud. Imp.
cap. 8. §. 17. & 18. ubi exempla: quod & in aliis Statibus
eminenterib; Con-Status Vasallos, vel alias nexus feudalii
sibi subjectos habentibus, verum est: quanquam ab Ex-
traneo si feudum Imperatori offeratur, cùm non solum
modo dominium acquirat, sed & instar aliquod foederis
aut saltim nexus ad protegendum concurrat, potestas ac-

ceptandi feudum quadam tenus limitata, atque à potestate
fœdera pangendi, aut in tutelam Imperii recipiendi, dedu-
cenda erit: Jam v. ex *Capitulatione Leopold.* art. 8. §.
Gaudient. &c. quantum ad fœdera, liquet: ab Impera-
tore fœdera solitariè non, sed *Consensu Statuum* adhibito,
pangenda esse. Quod tamen *Capitulatione Leopold.* art.
10. ita expositum reperitur, ut si Statuum consensum ex-
quirere non liceat, Electorum adhibitio sufficere queat.
Ex quo nunc colligendum est, Imperatorem feudum ob-
latum absque Consensu Statuum Imperii, vel casu ita exi-
gente ad minimum Electorum, acceptare non posse.

THE S. XIII.

Omnes autem omnino Res Vasallii propriae, & alie-
nari non prohibitæ, sive immobiles sive mobiles, non ob-
stante n. F. 1. §. ult. ut pecunia (de qua tamen scien-
dum, ejus naturam allodialem in feudalem mutandi fa-
cilitatem non omnibus indistinctè dominis, sed solum illis
qui Majestate sive Superioritatis territorialis jure gaudent,
vel aliâs si inferiores sint, præscriptione hoc jus acquisive-
rint, competere. v. *Klock. tom. 3. consil. 124. n. 56. C. 84.*
Carpzov. 2. const. 30. def. 10. num. ult. pluresque alleg.
apud B. Dn. Struv. S. F. cap. 4. § 3. num. 3.) sive corpo-
rales sive incorporales, eaeque vel conjunctim, ut juris-
dictio una cum Castro, sive solitariè & per se, veluti jus
decimandi, jus venandi &c. absque fundo cui inhærent,
& nec bona tantum particularia, sed & universa, tam præ-
sentia quam futura, cuius exemplum ad fert B. Dn. Struv.
S. F. c. 7. §. 10. num. II. (quo casu tamen legitima filiabus
salva esse debet, tot. tit. C. de *inoff. dot.* cum aliâs ad
legitimæ supplementum agi & per rescissionem invalidari
haec incorporatio possit. *Rosenth. cap. 6. concl. 68. num. 29.*)
quin denique integras ditiones, Comitatus &c. tam cor-
pora

pora quām jura in se continentes (quo casu Superioritas territorialis, & huic conjuncta Regalia, tam majora quām minorā simul oblata erunt) eodem modo uti in feudum concedi, ita & à Vasallo feudo concessō conjungi ac incorporari juxta præcedentia possunt.

THES. XIV.

Sunt autem quædam res, quæ cùm alienari prohibeantur, objectum incorporationis idoneum constituere non possunt, & quidem vel absolute, eò quod in totum commerciis hominum sunt exemptæ, vel secundum quid, ob singularem scilicet juris dispositionem. Ex posteriorum numero sunt illæ res, quæ per actum ultimæ voluntatis, qualis est fideicommissum, vel per actus inter vivos & conventiones, vel etiam ob singularem suam naturam & conditionem ita sunt affectæ, ut domino potestas illas alienandi admitta sit; In totum verò dispositioni humanæ exemptæ sunt res sacræ & religiose; nisi dicere velimus, si universitas aliqua, ut Comitatus vel Civitas, incorporetur, res quoque has simul transire, non quidem ut eorum dominum nanciscatur dominus feudi, sed ut in illa Civitate maneat; *B. Dn. Strub. S. F. cap. 6. §. 3.* quibus tamen æquiparandæ non sunt res in patrimonio Ecclesiæ existentes: illæ enim tanquam non simpliciter & per omnia hominum commerciis exemptæ, à Vasallo Ecclesiæ, si utilitas vel justa causa suadeat, adhucque Capituli & Prælati consensus *J. F. 1. II. F. 35. cap. 8. & 11. de reb. Eccles. non alien.* præniemorato modo incorporari queunt. Quid verò dicendum de rebus Ecclesiasticis, antea quidem in feudum legitimio modo oblatis, ad Ecclesiam verò ratione dominii directi iterum devolutis, an has absque requisitis Canonice solennitatibus dominis feudi ad unendum offerre liceat? Ita statuendum videtur, *arg. cap. 2. X.*

de

de feud. Gail. 2. O. 161. num. 3. Cùm enim res Ecclesiæ infeudari solitas absque prædictis solennitatibus ideo in feendum concedere liceat, quòd Ecclesiæ utilitas in illis jam ante approbata, & semel Capituli consensus datus sufficere, perpetuòe durare intelligatur, hinc ut ob identitatem rationis eadem hic obtineat dispositio, necesse est.

THE S. XV.

Ex dictis appareret, rei alienæ allodialis ut in feendum convertatur oblationem nullius momenti esse: si tamen per tempus lege definitum cæteris paribus possessum & recognitum fuerit, dominus feudi dominium directum, Vasallus offerens utile, præscribit; Non verò nisi titulo oneroſo v. c. emtione venditione, datione insolutum, aut transactione &c. ratione cuius evictio præſtanda est, *vid. Dn. Struv. S. J. C. Ex. 27. tb. 17.* dominus feudi quasi dominium horum bonorum acquisierit, Vasallus tanquam donator re evicta ad evictionem tenetur, *vid. Dn. Struv. S. F. cap. 6. §. 9. n. 7. & Illust. Dn. Præf. in anal. ad eund. loc.*

THE S. XVI.

Cùm autem hâc incorporatione libertas domini in re sua maximè restrinatur, & sic odiosa sit, ac unusquisque potius jure ac nomine proprio, ut dominus plenus, quam jure utilis dominii ac nomine alieno rem possidere presumatur, *Menoch. Lib. 3. presunt. 91. num. 4. Wesenb. part. 1. consil. 4. num. 14.* exindeque omnia bona sive ad privatos spectantia, sive Regalem dignitatem annexam, habentia, ut probant *Klock. tom. 2. consil. 8. num. 47. Jcti Marpurgens. Vol. IV. consil. 37. num. 551. Jcti Tübingens. p. V. consil. 212. num. 2.* in pristina libertate naturali, cuius favor ubique prævalet, *v. l. 20. de R. J. L. 38 ff. de re judic. mansisse, nec servituti, cuius species feendum dicitur Gleſſe*

in

in L. 13. v. Si usus fructus in verb. Oportet. ff. de usufr. obnoxia facta fuisse, statuendum sit, præsertim quod ipsæ consuetudines feudorum, si de bonorum nexu feudali non constet, in dubio potius allodialia & libera quam feudalia esse bona afferant. Hinc qui in incorporatione seu mutata qualitate rei allodialis in feudum se fundat, sive actor sive reus, sive in possessione sive extra eam constitutus sit, cum status vel qualitas origini naturali contradicens non relevet possesso rem ab onere probandi, ut habet Fulv. Pacian. L. 2. de probat. c. 20. n. 7. & 8. Klock. tom. 2. consil. 8. n. 134. eam legitime probare debet. l. 13. C. de probat. l. 4. C. de edend. l. 9. C. de except. & prescript. Inde quoque ob eandem rationem, pendente super qualitate bonorum controversia, inter defuncti agnatos & filias (quod etiam ad forores aliasque feminas in proximo succedendi gradu lineæ transversalis constitutos extenditur à Dec. consil. 424. n. 11. Roland à Valde lib. 1. consil. 1. n. 62. Hartm. Pist. part. 2. qu. 39. n. 8. Menoch. de adipiscend. possess. remed. 4. n. 378. eo quod & beneficium L. ult. C. de edit. div. Hadr. toll. nec non ex Tit. Quor. bonorum. quæ hoc in casu cum sanctione juris feudalis prorsus convenientiunt, vid. Hartm. Pist. de quest. 39. n. 5. omnibus indifferenter competit hereditibus Dd. in d. l. fin. C. Menoch. d. l. remed. 1. & 4.) hæc si in possessione constituta sint, in ea defenduntur, v. 2. feud. 26. cap. 1. non obstante præsumtione, quæ ex majori parte bonorum, secundum quam etiam de residuo judicandum volunt Menoch. L. 3. præsumt. 91. n. 62. & seq. Gail. 2. O. 69. n. 6. Coler. consil. 3. n. 46. seqq. sumitur, & quod si de prædiorum latitudine dubitetur, omnia feudalia ejusdemque qualitatis præsumantur, uti scribit Jason. lib. 7. consil. 235. n. 6. sub fin. vers. item si dubitatur. & n. seq. Mynsing. cent. 5. Obs. 25. n. 9. item si de bonorum qualitate non constet, omne id quod Castro

cohæret, feudale censeri debeat, ut tradit Zobel. part. 2. dif-
fer. 46. n. 17. & seq.

THES. XVII.

Probatio nostræ incorporationis fit vel plenè, argu-
mentis inartificialibus, vel minus plenè artificialibus, onus
plenæ probationis in adversarium incorporationem negan-
tem transferentibus: Prius expeditur (1) PER INSTRU-
MENTUM super Oblatione Vasalli sive expressa sive tacita,
& subsecuta debito modo investitura, consecutum: hoc e-
nim, quoad bona tanquam feudalia in eo expressa (non ex-
pressa enim cum strictæ illud sit interpretationis, *Wesenb.*
conf. 60. n. 11. Kloik. tom. 2. confil. 7. n. 200. allodialia non-
feudalia præsumuntur, *Mascard. de probat. concl. 70. n. 25.*)
plenam inferre probationem unanimis Feudistarum *in 11.*
F. 1. & 11. F. 32. est sententia; In originali tamen illud pro-
ducendum, & ab adversa parte recognoscendum est. *Ma-*
scard. concl. 94. n. 7. Tiber. Decian. Vol. 1. Conf. 14. num. 23.
quamvis etiam in temporis antiqui, & multò magis anti-
quissimi casu, solum exemplum instrumenti investituræ ad
probationem rei feudalis sufficere visum fuerit *Cravette in*
tr. de antig. temp. part. 3 §. vidimus in genere. n. 14. Paris.
confil. 104. n. 55. vol. 1. Nec ulla potest esse in hoc dubitatio,
si clausula: *Daz der Lehnher r dem Guth oder Geld*
Si pecunia aut es signatum Domino feudi à Vasallo offertur,
ut feudo adjiciatur & incorporetur, vid. supra th. 13.) die
Art und Eigenschaft des Erbes benommen und zu
Lehn gemacht/oder es in Lehn verwandelt; Item:
Daz forthin von Fällen zu Fällen solch Guth oder
Geld / zugleich den andern Lehn-Gütern auf erei-
gnenden Fall solle recognosciret/und unter der Inve-
stitur des feudi principalis mit begriffen seyn/Item: das
seine männliche Liebes-Lehns-Erben hiemit beliehen
seyn

seyn follen / & quæ sunt aliaæ ejusdem generis, literis inve-
stiturae expressæ insertæ reperiantur. (2) PER TESTES
quibus non minùs ac Instrumentis qualitas feudalis plenè
probari potest; vid. i. F. 26. ii. F. 2. ibigu ¹Bald. Mascard.
^{concl. 940. n. 1.} modo illa débitè observentur, quæ tam ra-
tione eorum personæ in probatione investiturae novæ (vid.
thes. 4.) jure feudalii vid. ii. F. 2. pr. 58. §. quod autem. ii. F.
32. in f. B. DN. Struv. S. J. F. cap. 8. §. 5. n. 2. & cap. 16. §. 14.
quām ratione ipsius testimonii, requiri solet, ut scilicet,
quoad hoc, etiam non interrogati rationem suæ scientiæ,
quod vel interfuerint oblationi Vasalli & viderint investitu-
ram de bonis allodialibus à Dōmino feudi fieri, vel quod le-
gerint instrumentum super investitura factum publicum,
aut fide dignum, in quo bona controversa, in specie expressa
fuerint, reddant: Feudalem enī rem ex allodio factam
suisse, est de iis quæ sensu corporeo non percipiuntur, quo
casu testis etiam non interrogatus dicti sui rationem con-
cludenter reddere obligatus est, alias fidem non meretur.
Rosenth. cap. 12. concl. 15. n. 84. Pacian. de probat l. 1. c. 7.
n. 96. (III.) PER CONFESSIONEM VASALLI, quæ o-
mnium probationum fortissima, optima & certissima ab In-
terpretibus dici solet, vid. Klock. tom. 3. consil. 182. n. 405.
Mascard. Vol. 1. quest. 7. n. 3. 4. & 5. Rosenth. cap. 12. concl.
14. n. 1. Schrader. part. 10. scđt. 12. n. 30. quanvis rectius re-
levatio ab onere probandi, quām probatio appelleatur, B. DN.
Struv. S. J. C. Ex. 27. §. 14. Mascard. d. l. n. 1. & 11. Ut autem
illa conversionem bonorum allodialium in feudalia suffici-
enter ac legitimè probet, factam eam esse oportet, CORAM
JUDICE COMPETENTE, v. c. 4. X. de judic. (extrajudici-
alis quippe confessio plenè non, sed tantum præsumptivè
probat; vid. th. seq.) A NON ERRANTE, nec in facto, pu-
ta si filia Vasalli credant, prædium aliquod allodiale juxta-
feu-

feudum, vel domino apertum, vel ad Agnatos successionis jure devolutum, fortean situm, eidem à patre incorporatum esse, neque in jure: (rationem vid. th. 3.) EX CEKTA CAUSA, arg. l. 93. §. 3. de leg. 3, confessio quippe sola quemadmodum non facit feendum, id quod allodium est: *Surd. consil. 411. n. 73.* (v. §. 3.) ita nec illud sola probare potest, ALTERAque PARTE PRÆSENTE AC ACCEPTANTE: *Gail. I.O. 55. n. 8.* absente quippe adversario, de jure Civili, cui hoc in passu contrarium jure feudorum constitutum non legitur, vid. II. F. 1. v. *Strentus*, facta etiam judicialiter confessio, plenè non probat; *l. ff. de interrog. att.* jure Can. tamen sufficit, quod per confessionem suam quis Judicii aut Judicio adstringatur, modo vel à judice vel ab alio acceptata, ratihabitione domini confirmetur, *Illusfr. DN. Pres. in Anal. ad Dessel. Eret. lib. 2. cap. 18. quasf. 2.* (IV.) Denique PER LITERAS REVERSALES SEU ANTAPOCHAS, quibus Vassalli ratione certorum bonorum nexus feudali se Dominis obstrictos fateuntur, cum vim instrumentorum habeant, *Modeft. Pift. Vol. 2. consil. 37. n. 39.* *Alex. 5. consil. 29. n. 25.* *Curt. Jun. consil. 140.* allegati à Meichsner. 3. dec. 13. n. 35. incorporatione nostra probari non minus ac ex praecedentibus potest. Ut cunque enim scriptura & sigillum privatum foret, tamen cum nostro casu contra ipsum sigillantem & scribentem Vassallum producatur, quin plenam fidem faciat, non minus, quam si publicæ forent, hæstandum non est, *L. 26. §. 1. depositi.* *Tirag. de retract. convent.* §. 1. Gl. 7. n. 49.

THESES. XVIIH.

Per argumenta & verisimiles conjecturas, indicia ac presumtiones, fortiores tamen iis, quæ pro libertate bonorum militant, incorporatio nostra, donec ab adversario eam negante libertas melius defensa fuerit, presumtive probatur. Et sic probare nihil aliud est, quam Judicem ad scientiæ & credititudine fidem adducere, docente *Castro* in *L. 31. ff. de jurejur. n. 38.* Hinc est, quod dicit *JCTus* in *L. 21. §. 3. ff. de testib.* Judicem debere motum animi sui ex argumentis & testimonii, qua rei aptiora & vero proximiiora esse compererit, informare; Et ita non ad testimonium tantum adstringit judicem, sed etiam jubet ad argumenta respicere. Huc pertinet, quod dicit *Imperator* in *L. 19. C. de R. V.*

Etiamsi

Etiam cum de probatione dominii agitur, indicia certa, quae iure
non refuuntur, non minorem probationis continent fidem, quam in-
strumenta. Ergo hoc multò magis locum habere debet, cùm de-
probanda qualitate alicujus prædii vel fundi agitur. Non mini-
ma certè (I.) inter eas est, si res questionis ut incorporata reperia-
tur scripta in libro seu registro Domini feudalis, tali scilicet, in-
quo aliae res nullæ quam feudales & investitura scribi solent. Ma-
scard. Vol. 2. concil. 768. n. 10. Menoch. 3. præsumpt. 91. n. 52. dummo-
do liber ille feudalis ad hoc sit comparatus & habitus ut probet, si
malique in archivo custodiatur; Gædd. Consil. Marpurgens. Vol. IV.
26. n. 14. alias contra Vasallum tanquam scriptura privata nihil
probabit. v. L. 5. 6. 7. C. de probat. L. fin. C. de conven. f. 56. debit. Nov.
48. cap. 1. §. 1. Ex 20 autem solo, quod in Catastro loci aut Civita-
tis, in quo bona duotaxat non feudalia descripta sunt, bona hæc
reperiuntur designata, nova hæc assumta qualitas feudalis à Ma-
scard. concil. 79. n. 15. 5 seq. & Menoch. d. l. n. 51. periculose præsu-
mitur. Possunt enim alia de causa, forte quodd ab oneribus, bonis
alii describi solitis incumbentibus, immunia, vel libertas eorum
præscripta, quin etiam ex nuda designantis incuria omissa esse, ut
ita facili enervari posset. Rosenb. cap. 12. concil. 14. n. 40. (II.) Ex
trajudicialis deinde Vasalli confessio legitimè probata incorpora-
tionem nostram quoque verisimiliter probat. Menoch. Lib. 2. consil.
191. n. 52. & L. 3. præf. 91. n. 43. Surd. consil. 151. n. 4. quamvis dis-
sent. Speculator L. 2. part. 2. tit. de confessionib. §. 3. n. 5. post med. v. Si
confessus sit extra judicium, plenè illam probare autemans, & We-
senb. in parat. ff. de confess. n. 10. pr. Salyces. in L. 3. C. de reb. cred.
n. 21. nullam planè fidem ei tribuentes. Quod autem geminatam
vel juramento suffultam attinet, judicialis confessionis vim eam
obtinere, ideoque plenè probare, putamus cum Carpz. Lib. 3. R. T. 7.
resp. 67. n. 11. 5 13. (III.) Imploratio consensus ad alienandum si-
ve testandum à Vasallo facta ratione horum bonorum etiam rem
feudalem arguit. Wesenb. consil. 4. n. 79. Richter. p. 3. consil. 8. n. 33.
Et possent plures harum probabilium conjecturarum hinc afferrari
species, nisi instituti nostri ratio supervacaneum id judicaret.

THES. XIX.

Effectus quod nunc concernit, operatur incorporatio bono-

rum allodialium (ive particularium sive universorum) in feudalia expresse, accessoriè, perfectè & plenò jure facta, ut unitum seu incorporatum capitis feudi in naturam induat, arg. l. 23. §. 5. ff. de R. K. ibid. Bald. L. 10. §. 2. ff. de vulg. & pupill. subsit. Decian. L. lib. 2. consil. 32. n. 29. Cravetta Consil. 45. 4. n. 3. Estque de hac perfecta unione verum quod dicitur, unionem facere rem esse ejus natura, cuius est id, cui unitur. cap. 1. X. ne sede vac. o. 3. X. de Statu Monach. L. 1. §. 14. ff. ad L. falcid. ibid. Bart. L. 7. ff. de captiv. & postlim. revers. ubi dicitur, si res sint redactæ ad unum, quod tum non debeant diverso jure censi. L. 23. pr. de usucap. Zobel. differ. Jur. civ. & Saxon. p. 2. differ. 46. n. 7. Nec minus rectum est, quod assiri solet hanc esse naturam unionis, ut res unitas ad eandem essentiam reducat, Mastrill. de Magistrat. L. 4. c. 12. n. 30. partemque unitam fieri principalis appendicem. Wiesenb. consil. 1. n. 5. 2. &c sequi jus ejus: Tiraq. de retr. proxim. §. 1. Gl. 7. n. 8. I. quin etiam vigore ejusmodi unionis unitum regulari secundum principals sui leges. Bart. in L. 1. 8. §. 1. ff. de pignor. act. Cravetta consil. 45. 4. per tot. Nec obstat II. V. 8. §. E contrario. unione non mutari bonorum separatorum naturam Gadd. d. consil. 37. n. 7. 8. Knipschild. tr. de fideicom. fam. cap. 12. n. 11. 5. & rem consolidatam & unitam non censi. eodem jure, quo res cui eonsolidata & unita est, sed tanquam aliam & per se judicandam esse. Tiraq. de retr. §. 19. Gl. 12. n. 2. & 32. Schrader. part. 10. sett. 2. n. 10. Hac enim de simplici unione seu coniunctione bonorum, de qua suprà thes. 6. per tot. eginus, accipienda sunt.

THESES. XX.

Propter dominium itaque directum, per incorporationem in hisce bonis, domino feudi quæsum (1.) illa simul, cum feudo cui connexa sunt, in casum non existentium successorum feudalium, masculorum scilicet, domino aperiuntur, & cum ejus bonis consolidantur: foeminas enim in feudo oblato, in cuius speciem, si res allodialis, ut feudalis fiat, feudo jungitur, incidit, vid. Illustr. DN. Praef. in Anal. ad Struv. S. F. c. 12. §. 6. n. 9. succedere, non recte ab Alciat. resp. 160. n. 24. Knichen. de jure territ. cap. 1. n. 20. 4. Burfat. consil. 46. n. 16. & novissime DN. Rhetio in comment. feud. pag. 49. assuritur, conf. Idem in Anal. ad Synt. Feud. cap. 7. §. 10. num. 10. Herrius tr. de feudo oblato: part. 2. §. 37. n. 4. Besold. consil. 182. n. 76. Vultej. L. 1. cap. 9. n. 5. 6. Rosemb. cap. 2. concl.

24. n. 1. & cap. 6. concl. 68. n. 28. prolixè Consil. Marpurgens. Vol. 4.
consil. 37. n. 701. & seq. Nec quicquam officit, quod & hoc impro-
prium feudum sit: nam improprietas illa seu potius irregularitas
& modus extraordinarius in constituendo saltim reperitur; nihil
vero tale in jam constituto seu natura feudi constituti appetit.
Illustr. DN. P. af. c. d. (2) Renovationem etiam investituræ, quam-
vis sub principalis feudi, cui innexa sunt, recognitione comprehen-
dantur, nec specialiter ut exprimantur necesse sit, personâ vel Do-
mini vel Vasalli mutatâ, v. I.F. 22. II.F. 24. 40. pr. 52. § ult. 55. pr.
inf. Vasillus ejusve hætes ratione horum petere tenentur: hinc
que etiam pœna non recogniti domini, amissionis feudi scilicet, si
dolosè vel negligentiâ inexcusabili recognitionem omiserit, v. II.
F. 24 junct. §. 1. quoad rigorem juris unâ cum principali subjacent;
licet quoad hæc ad eam non facile procedendam esse statuat.
Illustr. DN. Pref. in Anal. ad Synt. Feud. c. 15. §. 5. Besold. Th. Præb.
voce Aufgetragene Rehn. n. 102. & decad. 7. consil. 7. fol. 164. (3)
Sine Domini consensu, nisi feudum cui sunt unita merè sit hæredi-
tarium, vid. II.F. 48. aut ex consuetudine loci naturam allodii ha-
beat, (quo casu ad perfectionem negotii consensns domini, cui ta-
men indicari debet, an fortè in novo Vasallo quid desideret, v. II.
Illustr. DN. Pref. in Anal. ad S.F. c. 13. §. 1. n. 1. non requiritur) de iis
nec disponere nec eadem alienare potest. v. II.F. 34. §. 2. (4) Foro
suo ordinario & aliâs competenti eximuntur, & speciali suo feu-
dali, v. II.F. 16. 39. §. si inter. 55. §. pen. modò locum habere possit,
conf. B. DN. Struv. S.F. cap. 16. §. 7. n. 2. ubi causas, ex quibus forum
feudale deficiat, recenset, subjiciuntur. Non tamen hæc bona, et
iam si feudo antiquo adjiciantur & inserantur, per hoc naturam
feudi antiqui induunt, sed novi qualitatem tantum assumunt. Alex.
Lib. 5. consil. 9. n. 11. Rosenth. cap. 2. concl. 24. n. 3. & cap. 6. concl.
68. n. 27. Quare ad collaterales & agnatos illius, qui ea primus re-
cognovit, nisi sub commemoratione antiquarum investiturarum
expresse concessa reperiantur, aut aliâs de mente contrahentium
aliter constet, non pertinent, sed Domino si Vasillus iste absque
hæreditibus masculis decedat, aperiuntur. Riminald. Vol. 1. consil. 208.
n. 9. vers. Ex alio etiam capite. Rosenth. d. l. n. 4. & 5. Illud adhuc
monendum censeo, quamvis juxta ea, quæ hactenus diximus, ad-
hærentia vel unita fiant ejusdem conditionis, cum his quibus ac-

cedunt: id tamen eatenus tantum verum esse, quatenus id non sit
in aliorum præjudicium, quibus etiam post incorporationem jura
integra manere debent. Ita in præjudicium & detrimentum alio-
rum bona rustica vel Civica (Bauren oder Bürger Güthe) à
Nobilibus emi, & feidis incorporati, atque tanquam feudalia re-
cognosci, non possunt. *Cravett. consl. b. 4. n. 2. Mev. p. 4. decis. 106. in f.*

THES. XXI.

Transmutata ita per incorporationem bonorum nova quali-
tas perdurat, donec vel factum hominis, vel legis dispositio, nátu-
rali & pristinæ libertati illa reddiderit. Quoad illud voluntas &
consensus tam Vasalli offerentis quām Domini eorum Dominium
acceptantis, cūm ut *supràthes. 3.* pluribus dictum est, maxima ex
parte modum inducendi hanc incorporationem absolvat, in illi-
us quoque dissolutione meritò præ ceteris attenditur: nihil quip-
pe tam naturale est, quām eodem quō quid colligatum est modò
negotium dissolvi. *I. 35. de R. I.* Legis autem dispositione incor-
poratio tollitur dupliciter: (1) Consolidatione, dominio scil. di-
recto in his & aliis bonis feudalibus, cui annexa & unita fuerunt,
domino feudi sive naturaliter sive civiliter, nullis necessitudine a-
liquā ipsum attingentibus & in dominio directo succendentibus
hæredibus relictis, mortuo, ex præsumpta ejus voluntate (*v. B. Dn.*
Struv. S. F. cap. 15. §. 3. n. 3.) Vasallo obveniente, *Vulcej. Lib. I. cap.*
11. n. 7. & 8. (2) Præscriptione. Quemadmodum enim libertas
bonorum XXX. annorum cursu (*vid. supràtb. 4.*) amittitur, ita &c
eodem tempore ceteris paribus illa acquiri potest. Quæ cūm ex
jure feudal notissima sint, ulterius hic deducere, nec necesse, nec
scopò ac proposito meo conveniens, arbitror. Vela itaque contra-
hens, id unicè à TeB. & H. Lector èa, qua par est, obseruantia pe-
to, ut hanc meam qualemcunque opellam, seu injunctum Acade-
micæ industria Specimen, & quo animo interpretari, nec censoria
virgula perstringere; sed potius errores, si quos accuratè perlus-
tratione deprehendes, vel supprimere, vel benevolè & humaniter
excusare digneris: certus, mē in parili benevolentia atque huma-
nitatis certamine nunquam tibi cessurum, favorem ejusmodi qui-
buscunque officiis datâ occasione demeritum, atque ut meliora
aliquando DEO volente, protrudere posim, sedulo anni surū esse.

D. L. H. ET GL.

-93-

(X2256771)


ULB Halle
005 132 509

3



V317

Farbkarte #13



D. B. V.
INAUGURALIS,
De
**ALLODIALIUM
UDALIA
ORATIONE,**

*Quam
DIVINA GRATIA
e ET DECRETO
s in celeberrima SALANA,
PRÆSIDIO
itaque Excellentissimi
COPHORI LYNCKERI,
aehrstädt & Rötschau/
o-Vinariensis Consiliarii Intimi
Facultatis Juridicæ, ut & Scabinatus ac
lis, Assessoris Primarii,
sui omni obſervantie cultu etatene
generandi,
ICENTIA
Honores ac Privilegia Doctora-
enniter capessendi,
, Anno M DC XCIII.
& pomeridianis,
orum censuræ submittit
HELMUS THAURER,
Cassellanus.*

E N A,
DAVID. WERTHERI.
graphi Ducalis.